

in alio reprehendit, ipse committit, eadem genera civium constituens, nec plura ipse aut potuerit aut sciverit adinvenire. Illud quoque, *sed non potius boni gratia*, cur reprehendat reprehensor, hic idem committens? Primam civitatem ipse quoque necessarium gratia fabrefaciens, honesti autem non prius fecerit mentionem quam faelicitatis. Tertio cur reprehendit si sanae illi et verae ὑγιῆ καὶ ἀληθινῆ civitati necessaria vix habenti, nihil aliud cupienti, nihil fuerit opus bellatoribus? Quid enim vicini ab ea rapient, paupertatem?

10 Quod vero capite 7. cum enumerasset quinque rei publicae species, sextam ipse πολιτείαν, *politiam* vocans addit:<sup>74</sup> *Eo quod non multoties sit, latet eos, qui tentant numerare rerum publicarum species et utuntur quatuor tantum, ut Plato in Rebus publicis.* Falsissimum est id de Platone. Nam libro 8. Rei publicae quatuor sane, 15 sed vitiosas enumerat. Sed novit etiam ἐκείναις ἀνομοίους, *illis dissimiles*. Sunt autem peccantes quatuor, forma Creticae et Laconicae, oligarchia, democratia et tyrannis. Duas deinde nominat, timocratiam et aristocratiam, postea libro 9. regnum praeter omnes laudat atque ἀρίστην, *optimam* vocat. Septem ergo Plato, 20 non quatuor rei publicae formas constituit easque novit optime numerare etiam in Politico; ostenditque copiose priore loco, quo modo alia in aliam transeat.

Quod tamen Aristoteles 5. libri ultimo capite carpit multis verbis, quae omnia discutere non erit parvum operae precium, ait ergo:<sup>75</sup> *In Platonis Re publica dicitur quidem de transmutationibus a Socrate, non tamen dicitur bene.* Errata addit:<sup>76</sup> *Optimae namque et primae rei publicae non dicit mutationem proprie.* Deinde subnectit, quae ibi Plato de numeris sub Musarum prosopopoeia aenigma-

<sup>74</sup> διὰ τὸ μὴ πολλάκις γίνεσθαι λανθάνει τοὺς πειρωμένους ἀριθμεῖν τὰ τῶν πολιτειῶν εἶδη, καὶ χρώνται ταῖς τέτταρσι μόνον (ὡσπερ Πλάτων) ἐν ταῖς πολιτείαις. [ARIST. Pol. 1293a.40 – b.1]

<sup>75</sup> ἐν δὲ τῇ <τοῦ Πλάτωνος> Πολιτεία λέγεται μὲν περὶ τῶν μεταβολῶν ὑπὸ τοῦ Σωκράτους, οὐ μέντοι λέγεται καλῶς. [ARIST. Pol. 1316a.1 – 3]

<sup>76</sup> τῆς τε [δὲ] γὰρ ἀρίστης πολιτείας καὶ πρώτης οὐσης οὐ λέγει τὴν μεταβολὴν ἰδίως. [ARIST. Pol. 1316a.3 – 4]